

## ORATIUNCULÆ XIV.

## HABITÆ PATAVII

*Dum Lauream Theologicam Candidatis  
conferebat.*

I.



In est, Sapientissimi Patres, cum Josephi Pasini juvenis Ornatissimi ingenio summe delector, ac de illo in hunc Theologicum Ordinem cooptando serio cogito, ne tanto Academia nostra careat Ornamento. Et certe, quoties Academicis Seminarii Patavini Collationibus adesse mihi contigit, ubi florentissima pubes publicum edit polioris litteraturæ experimentum, toties me rapuit Pasini præ cæteris lucubratio; puræ ac minime fucatae latinitatis nitor, soluta perinde ac pedibus frictæ Orationis elegantia, qua cum emeritis Romani eloquii Professoribus Juvenis certat. Quoties Theologicis Concertationibus interesse mihi datum est, quibus Sacris de more studiis finis imponitur; toties Scholasticæ subtilitatis acumen, sententiarum pondus, cogitationum altitudinem demirari licuit; mentem vividam, ingenium præsens ac facile, quo victoriæ palmam exercitativissimis Disputatoribus dubiam facit. Verum dum de illo, quod mihi maxime cordi erat, in hunc Theologicum Ordinem cooptando, serio cogitavi, gravius me cura sollicitum & anxium habuit, ne dum novum Cælo nostro Sydus asserere vellem, in apertum discrimen adducerem. Audita illico voces, sparsi susurri, infestæ obmurmurationes evulgata, auctum jam fati esse Doctorum numerum, accessionem plus æquo in dies fieri; nec tam de aliis admittendis in Cœtum, quam de præcludendo cæteris aditu cogitandum. Timui si qua fides, ne non satis tuto tentarem aleam, donec fecit animum Augustini digna sententia: qui a Bonifacio Episcopo quondam alias interrogatus, quorsum electos, arcem Cœli viam ingressos, paucos in Evangelio Christus appellat, quos tamen turbam magnam quam dinumerare nemo posset in Apocalypsi vocitat Dilectus Apostolus, dignum tanto Viro responsum dedit: Boni quantumcumque numeræ fuerint, pauci sunt; mali si vel unus duntaxat & alter fuerint, nimis multi. Hoc ego confirmatus oraculo in animum redii; age inquam tentemus aleam, ac si qui Pasino meo intercessionem objecturi, numerosiorem Doctorum turbam nobis occentant, hoc sibi responsum habeant: Doctores, modo sint optimi, quantumcumque numero fuerint, haud nimis multi. Si Pasino similes fuerint, pauci erunt. Quare nil mihi jam reliquum est, nisi ut & votis tuis, & Patrum jussis satisfaciam, promeritamque dudum lauream publicis Academicæ Administer & Agonothetes imponam. Auctoritate igitur &c.

II.

Qua forte fieri dicam, Præful Illustrissime Sap. PP. ut in hac publica Sacrorum dierum mæstia, qua tristia Christi de cruce patientis mysteria pia mente recolimus, Theologicum hocce Musæum festa veluti luce reniteat, & intempestiva lætitiæ significatione non lessum aut naniam, ut tempus invitat, sed Epiniciam canat? ita ne læta mæstis miscere liceat? ut quo tempore Ecclesiæ caput spinis coronari cernimus, membrum ejus laureis & corollis ornemus? quo tempore percussum Pastorem in cruce agi, ac ferali conclamatione ad mortem damnari lugemus, Ovem triumpho ducamus, & officiosa Præconis Oratio ne immortalitatis fastis imprudentius inferamus? Ita est Meritissime Candidate, ita est: neque tamen quidquam a nobis intempestive tentatum aut gestum. Has tibi Doctoris insulas, hunc tibi solemnem inaugurationis triumphum decrevit Theologicus ordo, quo maxime tempore Christi de cruce patientis mysteria commentamur, ut hinc certo noveris, Theologiam, cujus studio delectaris, nil nisi Christi mortis meditationem reputari oportere, eumque veri nominis Theologum esse, qui cum Apostolo dicere queat, non *judicari me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*. Nullum te Divinæ Theologiæ Arcanum, nulla te S. Doctrinæ veritas fugiet, si eum scire contigerit, in quo *thesaurus omnes Sapientie ac scientie Dei absconditos* monet idem Apostolus. Hujus unius meditatione longe felicius, quam improbo studio eruditus Doctor Angelicus, Theologiæ principatum obtinuit, unus ille idemque factus, & Crucifixi discipulus, & mundi Magister. Verum nec id fati, Meritissime Candidate. Minus profecto fuerit, Theologiam in unius Crucifixi meditatione positam nosse, nisi ipsam quoque Theologicam Lauream, quam tibi ex Sapientissimorum Patrum Consulto decretam impartiar, ad ejusdem Crucifixi pedes demittendam intelligas. Sacros illos Triumphatores, quos nobis in Apocalypsi adumbravit inter cæteros dilectus Apostolus, imitari convenit, qui reportatas coronas ad occisi Agni aram sponte demittebant, ut huic uni gloriam suam devote rent, a quo fuerat profecta primum. Sic tu Doctoris Lauream Agno in ara Crucis hinc temporibus immolato pie devote, unde omnis doctrinæ tyrocinium petitur: ita fiet ut quod Theologum maxime decet, in una Christi Cruce glorieris; decretumque Triumphum, non tam virtuti tuæ tametsi coronis ornibus dignæ, excitatum exiltimes, quam crucifixo consecratum. Auctoritate igitur &c.

III.

Quod adepta ante annos duodecim juris Laureæ, Theologicam hodie velur honoris & gloriæ culmen reportes a nobis, in quoque jam pridem cum Astræa Virgine Sacro Connubio, Divinam hodie Sapientiam, nova tibi Desponsatione conjungas, est profecto quod gratuler, Vir Excellentiss. Parum feliciter virtuti tuæ videbatur, subactum Literis ingenium, huic uni disciplinæ devovisse, quæ de fama, de fortunis, de vita Civium, per fortes velur & tripodes judicat, nisi ad eam etiam Studia tua curasque converteres, quæ Superum interpres, & internuncia, non humanas modo res moderatur, sed æterna quoque fata decernit; parum huic uni Studia consecrassè, quæ jura Cæsaris tueretur ac vindicet, nisi ad eam etiam animum adjiceres, quæ jura Dei mortalibus loquitar, ipsi etiam Regibus ac Cæsaribus verneranda. Verum quod ad Sacras Literas nostras, in seposita vita, beatoque secessu felicius excolendas, Foro tandem ac Curiz, in qua tot annos summa cum laude contriveras, salutem dixeris, relictaque Causarum advocacione, novam in Clero vitæ rationem inieris, singulare prudentiæ tuæ atque judicii specimen est, nulla satis commendatione celebrandum. Equis enim nesciat quam parum beata illa quiete Viris Divino Cultui mancipatis necessaria persuantur juris Legumque periti? quam misere illi occupati, quam distracti, quam parum sui, & vilissimi cujusque mancipii importunitati obnoxii? ut cum suum unicuique pro potestate dispensent, sibi otium atque tranquillitatem donare non possint. Dum etenim causis agitandis linguam acunt, foroque vocem & operam locant, insanis clamoribus, ac jurgijs dies absumitur, Litigatorum turba limen oblidetur, audiendus querulus Clientis, voranda Curatorum molestia, ferenda damnatorum Convicia, legenda Literæ illiteratissimæ, volvendi inanum Commentariorum fæces; ac sæpius quod molestum magis, multa nocte inter Libellos exacta, sub Galli cantum *consultans æstia pulsat, atque somnum pallidus impius reus*. Cum e contra, Sacræ Theologiæ Cultores, nullo negotiorum æstu jactati, solidis vitæ bonis, ac beatissima tranquillitate persuantur, sibi solis ac musis canunt; nihil Foro, ut cum Tertulliano loquar, nihil Curiz debent; nulla rostra præoccupant, nulla Prætoria observant, Cancellis non adorant, subellia non contendunt, Judices non appellant, totique in rerum Divinarum meditatione desixi, aliud curant nihil, quam ne curent. Interea tamen dum sibi unis videntur nati, Ecclesiæ ac Reipublicæ bono vivunt; Libros inter & Codices strenuam non ignavam inertiam exercent, Catholicæ Religionis negotium agunt, nunquam minus otiosi, quam cum seriantur, nec minus solii, quam cum soli. His tu modo fruere bonis Vir Illustris, e Foro in Clerum, e Capitalium rerum procuracione in Divinarum studium translatus, quietis portum securus tene, inania curarum deride; otioque honestissimo demersus, beatoque nido inclusus, id unum cura, *ducere sollicita jucunda oblecta vitæ*. Hactenus Astræa Sacris initiati, Laudis tuæ summa fuit, jura Legesque in eo Senatorum consensu loqui, quem Sanctiorem Areopagum, justitia Delubrum, prudentiæ Sacrarium univèrsus Orbis agnoscat; iis silentibus verba facere, quorum dictata atque Oracula veneratur ac petit ultima Thule: quin & iis interdum mirantibus causam dicere, apud quos nihil admirari magna Sapientie pars est. Nunc ad Theologiæ Studia translatis, gloriæ tuæ summa erit, illum ipsum Sacris in Literis loquentem

audire, qui & prima Lex est, & totius Sapientie fons inexhaustus, per quem Reges regnant, & Legum Conditores justa decernunt. Hactenus in Capitali Serenissime Reipublica Foro rerum patrocini ac tutelæ præfusus, innocentes in oculis hominum aut probasti, aut certe innocentie speciem bonus Orator obduxisti; nunc in sacro Ecclesiæ Foro ad sanctius Ministerium evectus, innocentes, in oculis etiam Dei, non probabis modo, sed facies. Id ut felicius ex Sententia cadat, utque tam grata nostrum omnium oculis commutatio, novo quodam ornamento illustrior fiat clariorque; decretam tibi Sapientissimorum Patrum judicio Theologiæ lauream Capiti circumponam, quæ te e Fori tricis & jurgijs avocatum, in suscepto Sanctioris vitæ instituto confirmabit, dignos libero homine spiritus inferet, dignos Dei Ministro sensus affabit, Auctoritate igitur &c.

IV.

Fuit olim ille, Nobiliss. Candidate, qui memet etiam hodie plurimum movet Mulieris parturæ casus, Sacris in Literis celebratus. Instante partu Thamar, scribit Moyses Gen. 38. *Apparuerunt in utero duo gemini: atque in ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua obstrictæ ligavit coccinum dicens: iste egredietur prior, illo vero retrahente manum egressus est alter*. Certe quod tunc laboranti Matri, geminam prolem uno partu edituræ accidisse video, ut qui prior in ipsa infantium effusione manum protenderat, ligatoque coccino priori ortus signum jusque prætulerat, retracta subinde manu, alteri locum dederit, prioremque in lucem prodire siverit, id & mihi hodierna die, germanos fratres laureæ candidatos, uno veluti partu in hanc Academicæ lucem uti optaveram, edituro, sentio contigisse. Cum enim germani fratres non minus animo animaque mixti, quam Corpore ac Sanguinis Sacramento sociati, de suscipienda simul laurea delibassent, ut Sacrosanctæ communis ortus fœdera novo isto germanitatis nexu colligerent; ipseque ego natu majori, qui memet prior convenerat, tamquam alligato manui coccino, fidem meam obligassem, jusque illi prioris ortus in hocce Sacro puerperio destinassem, mecum ipse non semel inquiens; *iste egredietur prior, spem tandem & omen sefelit eventus: Illo quippe, nescio quo casu quoque Consilio, retrahente manum, egressus est iste*.

Quamquam quid ego insperatum casum indignor? quid inopinatum eventum moleste fero? sit ita sane, fratremque natu majorem ut in hac Academicæ lucem prodires, prior occupaveris, Juvenis Ornatiss. salva amborum germanitas est, modo te ille de proximo sequi studeat, quamque tu eruditionem, facundiam, ingenii acumen, atque præstantiam Academicæ probasti, probet & ipse. Exemplum tuum felix illi jaciendæ alæ necessitas est, ac reportandæ victoriæ lætum omen; quo tu magis egregie indolis specimen præbuiti, eo magis est illi enitendum, ne tui dimissis hac quoque parte videri possit, neve quod turpius esset, natu major in hacce literaria Palæstra a minore vincatur. Dii amborum cæptis aspicient, nec antea vitæ vestræ concentum hocce postremo actu dissolvi patiantur. Tunc sane spero fore, ut ille pari tecum Laureæ redimitus, quemadmodum olim Polluci Castor tecum alternis immortalitatem partiat, ac non Sanguine tantum & Corpore, sed & in Studiis, Studio-rumque præmiis fratres fitis.

Auctoritate igitur &amp;c.

V.



V.

Dum geminos qui hic adsunt Monachos Cassinenses, Academiæ nostræ insignis ornare instituo, Proant. Illustris. Sapp. PP. non tam decretam iudicio vestro Doctoris Lauream benemeritis impono, quam vetus Scholæ Thomistica debitum expeditio, scilicet quod olim a Cassinensibus acceperat Doctor Angelicus, id ego nunc Cassinensibus reddo; atque ut liberalis animo esse soleo, non sine usura multoque fenore nomen expungo. Et quidem prima olim Doctor Angelicus pietatis atque Doctrinæ rudimenta apud Cassinenses puer ebiberat, ego consumatæ Virtutis ac Doctrinæ præmium, Cassinensibus ætate maturis liberalius impartior. Ille ingenii cultum rudem adhuc & impolitum in umbris Cassini Montis acceperat, ego altioribus Studiis informatos in hanc publicam Academiæ lucem induco. Ille in spem futuræ eruditionis & gloriæ, in illo Sapientiæ Sacratio adoleverat, ego non una spe gloriæ Cassinensium animos erigo, sed partæ jam gloriæ insignis ornandos aggredior. Hæc mea in Cassinense Sodalitium grati animi significatio, hæc accepti olim beneficii iusta redditio.

Verum quamquam est ita quod honesti ac bene morati Debitoris est, ut soluto aræ atque expuncto nomine gratum Largitori ac bene memoriam gerat animum, id ego & quot quot Thomistico nomine sumus, in Cassinenses profitemur. Illos veluti Superioris Hierarchiæ Angelos colimus, a quibus Scholæ nostræ angelus lumen accepit; primigenium fontem, unde Summus Theologiæ Princeps primitus hausit, uti derivati rivuli veneramus. Ad unum Cassini nomen Veneratione procumbimus, ubi hoc unum reputamus animo Thomam futurum Mundi Magistrum, illic primum fuisse Discipulum; Divinæ Legis Interpretem, Legem in eo Montis Vertice accepisse: Certum ubique doctrinæ Duce in illo Sapientiæ domicilio tyrocinium posuisse.

Neque vero id a me obsequendi animo dictum putet aliquis, quasi multum Benedictini Ordinis gloria referre putem, quod qualemcumque Scholam nostram teneat in ære suo, nosque omnes obstrictos habeat memoria beneficii sempiterna? Eoque enim tanti Ordinis gloriæ accessio fieri potest, si quid quidem sumus, id nos illi fateamur debere, cui secundum Deum, Ecclesia ipsa Catholica debet, quid quid per annos amplius mille, Sanctitatis, Religionis, Doctrinæ, splendoris obtinuit. Cui debet Romana Sedes, continuatam per annos fere trecentos Pontificum Seriem; ac illa quidem, quod mirere magis, ætate temporum, qua nondum licet, ex formula Sanctissimi vocarentur, vitæ tamen morumque integritate, omnes ad unum Sancti erant. Cui debet Ecclesiasticus Ordo quas ferme nunc obtinet opes immensas, non fovendæ Prælatorum Luxuriæ datas, sed Monachis olim pro eximia eorundem religione ac pietate a fidelibus attributas, ut qui pro Christo reliquissent omnia, ceptulum etiam viventes acciperent. Cui totus debet Occidens quod Orientem Monasticæ quondam vitæ professione celeberrimum non æquaverit modo, sed superavit, plura ex hoc uno Stipite Cænobitarum sodalitia nactus, quam Syria olim & Ægyptus, Pontus ac Palestina, universa denique Græcia numeraret. Cui debet Literaria Respublica non quod sibi nonnulli superbe arrogant, canoras nugas, verba in Labris nascentia, sed veteres disciplinas adversus Superiorum temporum iniquitatem, Sæculorumque barbariem ab interitu vindicatas; antiquæ memoriæ ac prisæ tra-

ditionis monumenta ex Hæreticorum insidiis ac rapinis erepta; Patrum melioris notæ Codices, integra fide posteritati servatos; ut si quæ nunc nobis est vetustatis ac prisæ moris cognitio, si quis Sacræ Antiquitatis sapor ac veluti gustus, totum id qualemcumque est, quod certe maximum est, totum sit inquam Benedictinorum curæ, studio, diligentie tribuendum.

Sed quid ego ista commemoro, Religiosis Candidati, quasi vos Augusta illa amplissimi Ordinis specie ob oculos posita ad studium laudis & gloriæ permovere necesse sit, quærendumque eminus, quod in proximo vobis est ingens virtutis incitamentum, Divæ scilicet Justitiæ Cœnobium, augmentum illud Religionis domicilium, pietatis Sacrarium, Sapientiæ Musæum, Venetæ Magnificentie Miraculum, quo semel viso non ultra oculis opus est. Templum Numinis Majestate dignum, ac pæne par: Ædium moles immensa ac plane Regia, suis tamen Habitoribus minor; altera pæne dixerim infra Urbem locata Urbs, unde Patavium splendorem accipiat ac dignitatem. Hoc vel unum cæteris licet Claris Ordinibus Miraculis ignoratis, satis superque ad gloriam faces ac stimulos addet, ne Religiosæ Professionis nomen ac titulos eludatis, sed ingentes Animas Cæloque receptas, quæ Sedes illas Contubernio sacrarunt, studiosius amulemini. Nos interim, quod in nobis est, alterum dabimus virtutis incitamentum, Doctoris nimirum insignia, quæ vobis avitæ gloriæ viam aperient, in domesticum triumphum inducent, dignos Divæ Justitiæ Cœnobio seorsus affabunt.

Auctoritate igitur &amp;c.

V I.

Decimus annus agitur Sapp. PP. ex quo me Laureæ sequestrum, & administrum, Sacro huic Theologiæ Lycæo Veneta Majestas imposuit. Per id ego tempus sæpe mecum tacitus cogitavi, quid demum cause foret, cur in hac tanta Virorum Religiosorum turba, qui vigiliis ac laboribus expiati, Sapientiæ tandem Sacris in dies incitantur, nemo tamen unus ex inculto Augustinensium Ordine, templa ista subiret, qui Sacras infulas & Laureæ decus a nobis exposceret. Verum cum demum exacto decennio venerabili specie, & consummata virtute Senex Paladium hoc subingressus, ingentibus Studiis ac curis Caput albescens Doctoris insignis ornandum obtulit, totque honorum ac Dignitatum titulos hocce postremo Apollineæ Laureæ honestamento illustrari postulavit, tunc certe quod ante lateverat, intellexi, longo ductu lentoque molimine formari Doctores, qui non in turba nascuntur, nec fortuito saltu præcocie conceptu, sed partu plursquam dixerim Elephantino in lucem educi.

Et cæteri quidem Sapientiæ Candidati tenelli plerumque & imberbes, Studiorum primitias Academiæ dicant, spem bonam & herbescentem Patribus offerant, ut non tam coronari Doctorum infulis, quam excitari ad Studia videantur. Qui Sapientiam uti par est, altius æstimant, annorum pondere non minus quam veneratione ad hæc Ostia procumbunt, spissa barba, densisque superciliis fores implent, Laureæ experimentum tamquam consummati Operis fastigium erigunt, Doctorisque nomen extremam titulorum lineam scribunt.

Est ergo quod tibi vel hoc nomine gratulemur Vir Religiosissime, qui & æstimandæ, uti par est, Sapientiæ exemplum dedisti, & consummati Laboris præmium reportasti. Faxint Superi ut

fe.

feras infulas exuas, qui tarde ac pæne jam ferro eas induisti; iis tot annos potiaris, quot in iis promerendis impendisti; longiorisque moræ tormentum longior adepti tituli usura compense.

Auctoritate igitur &amp;c.

V I I.

Sæpe mecum tacitus cogitavi P. Illustris. Sapp. PP. quid demum cause sit, cur cum unam uni copulari jura decernant, tam sæpe in hocce Sapientiæ Sacratio duos uni Sponsæ conjungitis, atque etiam quod mirandum magis, uno eodemque Connubio & Hymenæo: itane naturæ jura prævereritis? aut forte Sapientiam vago atque promiscuo Amatorum amplexu delectari, tam liberaliter existimatis? Absit. Est hoc imo Sapientiæ vestræ egregium Specimen, qui cum ab Apollolo Sapientiam multiformem esse didiceritis, tot ei Sponsos copulari finitis, quot variis ejus formis atque illecebriis delectantur.

Nullus enim in hoc Sapientiæ Connubio, tametsi duobus una Sponsa jungatur, nullus inquam rivalitatis & zelotipiæ metus: tantum quisque Sponsam hanc ab altero diligi cupit, quantum diligit ipse; nec ea vicissim ab uno redamata, alterum fastidit.

Nihil ergo mirari subeat Mer. Cand. si vos communi Hymenæo hodierna luce, Sapientiæ conjungam, quos peracta simul eodem Instituto atque Magistro Theologica studia, una eademque animorum Cultura & institutio, pars utriusque Corporis elegantia, commodaque Statura eidem Sponsæ eidemque Connubio destinasse videbantur. Est hæc Religioni tuæ pietati, castique moribus debita merces *Lauventi Paulate*, Seminarii Patavini grande decus, & magnum cæteris virtutis incitamentum; cuius celsam indolem, mentem candidam, insidentem ori modestiam, indefessum ac pertinax studium, senilem in ipso pubertatis flore prudentiam animique maturitatem nemo non celebrat. In quo Religiosa Juventus Sacris Altaribus destinata multum semper quod imitaretur, invenit; unus idemque factus aliis quidem exemplum, aliis pudor, omnibus norma & species pietatis.

Debebat & tibi *Simon Tardæus*, nihil præter nomen tarditatis habens: cuius os modestum, vultus hilaris, virilis ac elegans Corporis forma dignum Sapientiæ Sponsum diu antea protendebat, nisi quæ has omnes naturæ commendatitias longe superat, animi virtus, certius nobis hodiernæ Desponsationis augurium accessisset.

Maestri ergo Mer. Cand. hac vestræ virtutis pietatisque gloria, Academiam nostram novis in dies Literarum incrementis recreare pergite: adidite felicibus Auspiciis consummationem, ut quam vobis modo Sapientiam despondebo, hanc tandem æternitati maturam, Christo æterno Sponso Virginem Castam exhibeatis.

V I I I.

Marium Marcellum eo maxime nomine celebrat Augustinus (a) Proant. Illustris. Sapp. Patres, quod Cymbris devictis unum idemque virtuti simul, & honori templum possuisset; in eam etiam formam rite dispositum, ut virtuti pars ædium antica, honori postica dicaretur, neminique in istam pateret aditus, qui illam non antea fuisset ingressus. Quo certe significatum

voluit Vir post homines natos prudentissimus, non modo honorem virtuti esse conjunctissimum, sed & illud tantummodo esse verum decus & ornamentum, quod labore, industria, studio, uno verbo virtute pararetur. Ea vos opinione probe imbutos significatis Studiosi Adolescentes, qui ad summum Laureæ decus, honorisque Literarii fastigium aspirantes, Virtutis studium supra ætatem, ac præter Sæculi morem, indefesso Labore, ac pertinaci Animi contentione coluistis; ut hoc demum Eruditionis atque Doctrinæ nobile Specimen Sapientissimis Patribus ederetis. Cum etenim quosdam infana cupiditas ab incerto Literarum Studio procul avertat, alios molesta nausea retrorsum cogat, plurimos diuturnus Labor infringat; vos propositi tenaces, nec molestia, nec Labores, nec inanes Æmulorum appetitiones in contraria abutere: sed eundem semper in scopum incitati, audiendo frequentes, legendo assidui, scribendo diligentes & impigri, honoris & gloriæ sedes feliciter obtinistis.

Sortem adeo prosperam hodierna Luce dum gratulor Erud. Cand. illud simul admoneo, quod a nonnullis sapienter est observatum, Virtutis scilicet honorisque templum, præter morem & usum, sine postico fuisse factum, ne ullus a posteriori parte pateret exitus, sed quot quot demum posticas honoris Ædes subissent, vestigia per anticas Virtutis ædes relegere cogentur: ut inde noveritis, si quis hactenus a virtute ad honorem vobis transitus fuit, parem vicissim ab honore ad virtutem reditum vobis esse oportere; priora vestigia relegenda, calcandum perpetuo virtutis iter, ac nunquam in opere, studioque cessandum: sic sane Laureæ honore, quo vos Sapientissimus Ordo prosequitur, maxime dignos probabit, si etiam dum illo fueritis a nobis ornati, eundem novis Laboribus studiisque promereri fatagatis.

Itaque Auctoritate &amp;c.

I X.

Est illa naturæ Interpretum Observatio Præful Illustris. Sapientis. Patres, novis in dies experimentis comprobata, illos maxime a Parentibus filios diligi, quos ii gravioribus malis ac doloribus excruciat, in hanc mortalis vitæ Lucem ediderunt: quo circa Jacobi filium natu minimum præ cæteris dilectum referunt Sacra Literæ, quod illum pia Parens ingentibus doloribus pressa genuisset, eundemque Benoni, hoc est doloris filium pariendo nuncupasset. Si magna parvis componere liceat Rel. Cand. est profecto quod te præ cæteris diligam, quem ego lento dolore confectus, diroque herpete, carnem ad ossa usque devorante, quasi perpetuo tortore excruciat in hac Academiæ Lucem enixus sum. Est quod te Benoni meum, filium doloris mei merito nuncupem, quem infano ebullientis ac fali humoris ardore evehctus, ferro, aqua, & igne imperiosa medicorum Consultatione damnatus, in ipso tot Suppliciorum conficio grabbato Mufis peperi.

Cæterum dum Diis auspibus, quod mihi durum pati fuit, meminisse nunc dulce est: Id tu quoque memineris Rel. Candidate a veteribus potissimum observatum, felices fore proles, quas doloribus confecta Matres in lucem edidissent. Hinc Scipio Africanus, hinc Julius Cæsar, ex cæso parentis utero educti, felicissimi prodire: hinc & ille Jacobi filius natu minimum, quem

cru-

(a) S. Aug. lib. 5. de Civit. c. 12.



eruciatibus eveda Mater, Benoni, hoc est doloris filium nuncupaverat, a Parte futurorum prescio Beniaminus, hoc est dextera filius dictus fuit, filius scilicet fortitudinis, filius felicitatis & gloriæ. Sic & tu non Benoni modo, hoc est doloris mei filius esto, sed Beniamin filius dextera, filius felicitatis & gloriæ.

Ad hanc te felicitatem & gloriam vocat dominus inclita, quæ uti Patavinæ nobilitatis titulus Penatibus nuper addidit, ita novis per te Doctrinæ ac pietatis titulis augeri cupit; ad hanc te pius frater exemplo provocat, qui ut Academiam istam magnis meritis ornat, ita te meritum Socium exoptat. Ad hanc demum ingenium virtutum imagine ornatam invitat D. Justinae Cenobium, Religionis Domicilium, pietatis Sacram, Venetæ Magnificentia miraculum. Porro hæc tibi ingentes ad gloriam faces & stimulos addent ne & familiaris titulos, & Religiosa Professionis nomen eludas. His ego novum addam virtutis incitamentum, Doctoris nimirum insignia, quæ tibi avita gloriæ viam aperient, in Domicilium triumphum inducent, dignosque D. Justinae Cenobio sensus asilabunt.

Itaque Auctoritate &c.

## X.

Quod olim de Poetis & Oratoribus scriptum legitur Proant. Illustrissime Sapientissimi Patres, illos scilicet nasci, istos fieri; urumque illud de Meritissimo Candidato nostro nulla verbi invidia pronuntiaverim: natum illum ex æquo, factumque Theologum. In hac enim raris Candidatorum turba, quorum Theologica studia juvare ac promovere mihi datum est, neminem unum reperire contigit, qui ad Theologicas Disciplinas capessendas plus sua naturæ deberet, idemque plus studio & labori. Tanta scilicet illi ingenii felicitas inest, vigor, perspicacia, celeritas, ut quod alii non nisi pertinaci labore, multoque studio assequantur, is indulgentis naturæ impetu, ignea vi, atque extemporanea felicitate consequatur. Tanta vicissim illi animi attentio, studique constantia, ac pene dixerim intemperantia, ut si vel naturam novercam fortitus esset, ceteros tamen egregia Indole præditos, sola laboris assiduitate superaret. Neque vereor Sap. PP. ne ad ostentationem loqui videar: nihil dico quod non sit in omnium oculis positum. Quoties in literariis Seminarium Patavinum Concertationibus, a tabulis imparatus, sola extemporanea facilitate, ne dicam audacia, adeo se audita vix controversia peritum ostendit, quoties in Circulis, aliud agentis ac pene ludentis speciem præbens, de re Theologica, quæcumque se offerret, adeo eleganter, accurate ac copiose dixit, ut perditum meditatum facile crederent; idemque rursus ex tempore sic verba lectissima, gravissimaque sententias addidit, ut ejus oratio non facta, nata, sed non quaesita sed inventa, recitata de scripto, non ex uberissimo locupletis ingenii penu deprompta esse videretur: quod cum sæpe toto studiorum decursa, tum maxime anno elapso in solemni disputatione patuit; ubi proprio Marte, nullis alienis prædiis succinctus, cum exercitissimis Professoribus in aciem veniens, cum illi grandia minati, nodos disquisque acueudis pugionibus, nodisque texendis contrivissent, is ad dicendum surgens, tanquam alienato a sensibus animo, quod de Ulisse Homerus prodidit, effusa verborum procella, & glomeratis sententiis, totum illum argumentorum apparatus, nocturnum vigiliis disturbavit; nec ad-

versarios modo sed & Judices, ipsumque Eminet Principem iudicii Certaminis Agonothetam rei miraculo obstupescit.

Neque tamen qui tanta est ingenii felicitate, animique vi, studio propterea ac laboribus parcat: sed Domi abditur, placetque affixus, stylo & pugillari perpetuo intentus, lucem anteverrens, noctemque operi addens, ingenium omnium capacissimum excolit, exercet, ac pene torquet, quantum si vel omnium pessime a natura paratus esset. Quod est ne forte præsentis modestiæ vim adhibeam, silere velim, latere tamen non potest; cum & ipsa facies decolor, fuscata genæ, totiusque exercitati vultus nobilis macies, prodant secreta musarum & noctium. Et tamen quis credat? cum ceteri ferme omnes intemperanti studio dediti obducta fronte esse soleant, subtristes, morosi, semiferi, Trivellatus totus est ad honestam hilaritatem factus ac fidus; hocque ipso longe felicius, quam Homericæ Nepentis, laboriosas studiorum curas inter amicos lenire solet, nunc liberalibus jocis, promptisque salibus, nunc festo saltatu, dulcique cantu, nunc inflata stitula, pulsatisque fidibus. Hæc ego ingenii tui amplexitate ut summe delector, Meritissime Candidate, ita præclaris naturæ & animi donibus, quarum & modo egregium specimen præbisti, faciet impense Theologicus Ordo, dignoque præmio orari jubet. Cujus ego iustis ut morem geram, decretum tibi triumphum, uti publicus omnium Interpres, & administrator excitabo, traheamque & Laureæ decus impertiar.

Itaque Auctoritate &c.

## X I.

Parce Proantistes Illustrissime, parcite Sapientissime PP. tuque præsertim Candidate Meritissime parce, si in exequendo quod profiteor hodie publico munere, hæret oratio, nec habet quod eloquatur. Cum enim tu mihi exorandus venias, cujus meritis parem non ausim faciendam polliceri, iis præsertim audientibus, quorum alios tuæ ipse virtutis simulacra habuisti, spectatores alios, alios Judices, laudatores universos; sic mecum ipse statui, magis esse, eum præterire, quam quem aut extollere, aut tueri non liceat, infelici conatu, ingenique vitio, infra seipsum aut eam quam qualiviv existimationem, famamque relinquere. Quamquam enim possum, si luberet, quæ tibi cum aliis quidem, sed non multis communia sunt, commendare, honestissimæ familiaris virtutem, Domi forisque perspicam, flagrantem jam inde a puero bonarum artium cupiditatem, ingeniosos mores sæculi labem nescientes, formam imperio dignam, quis tamen ille tui vim ac magnitudinem ingenii dicendo assequatur? quis studium ad veritatis indagacionem incitatum atque perpetuum? quis frequentes vigiliis, labore assiduo, domesticas lucubraciones; pertinentem in legendo scribendoque, & quæ scripseris, legerisque meditando, constantiam? quis denique rerum Theologicarum uberissimam cognitionem, in explicandis Sacris arcanis perspicaciam singularem, mentem acrem ac vividam, multa simul agitantem, quæ nulla habebat sublimitate rerum, nulla difficultatum asperitate deterreatur. Parce igitur Vir Doctissime si tuis laudibus abstineo: tua tibi integra atque illibata servari volo, non incultæ orationis brevitate ac vitio deturpari.

Verum id a me silentio mitti non sinit, Theologicus Ordo, unde majorem de te læticiam capio, ingentemque nomini suo splendoris & glo-

## X I I I.

riæ accessionem futuram ominatur. Quas scilicet plena urna tibi decrevit Doctoris infulas, non ad otiosæ ornamentum ætatis cessuras, ut ferme fit, sed ad novam studiorum laborumque contentionem. O quot, suscepta in hocce Lyceæ Doctoris Laureæ, perpetuum studiis nuntium mittunt, torpent otio; ac veluti Domitis Monstris Elysiis Campos attingerint, securos latices, & longa oblivia potant! quot accepto nobili illo virtutis atque doctrinæ honestamento, nihil aliud discere norunt, nisi deducere; aut si quid forte, e sacris quas antea coluere, litteris meminisse amant, illud certe unum Apostoli didicim memoria infixum habent, *Littera occidit*; summamque semper curam adhibent, ne a litteris occidantur. Tu constanti litterarum studio flagrans, impositam dicendi docendique necessitatem hac tua inauguratione recognoscis. Canonici Theologi Dignitate ornandus prope diem, tradendaque e Sacro fuggestio Theologiæ provinciam brevi obiturus, publica in hocce Lyceæ exercitatione prælusti, ut non tam studia consummare, quam aspicari videaris. Doctoris titulum docendi professione cumulabis, ne sit tibi vani nominis umbra. Quos hic animos ebibisti, diffundes in posteros, ut Laureæ dignitatem novis doctrinæ fructibus cumules; teque maxime Doctoris infulis dignum probabis dum eas a nobis fueris consequatus.

Itaque Auctoritate &c.

## X I I I.

Fertur profanis Romanorum historis, Proant. Illustrissime, Sap. PP. Diagoras Rhodium inmoderata læticia elatum, universo spectante populo, momento temporis efflasse animam (Aulus Gellius lib. 3. noct. atticæ, cap. 15.) scilicet cum ejus filii adolescentes, quos ad Olympicum certamen incedum egregie erudiverat, eadem die vicissent, simulque coronarentur; cernit gelens parens theatra exultantia, sentit fiventium plausus, percipit gratulantium voces, audit pæana modulantium cantus; flores, palmas, coronas intuetur: quid demum? tantæ impotens lætitiæ, vivens vidensque momento exanimatur. Ita ne vero moriar & ego hodierna luce præ gaudio; dum quem alii, quem fovi, quem peculiari cura studioque litteris imbui, in hocce nobiliori certamine, non Corporis sed Animi, non roboris sed ingenii non Olympiæ sed Theologiæ video coronari? Absit optime Adolescens, absit a me mortis omen, ne presentem læticiam, quam Venerando Patrum confessu, solertia tua, doctrina, eruditione peperisti, præcipiti casu funestem. Immo vivam, meliori quam Diagoras forte beatus, & ita vivam, ut paratas tibi Laureas lætus atrecessem, quæ mihi ferales non sint, sed vitales, quæ me nequeant viventem interimere, sed facile possint vel demortuum animare. Vivam ut inter faventium plausus, gratamque totius Academiæ admurmurationem, totus in tuas laudes effusus, quanta possum voce contendam. Vivam inquam, non ut decreta tibi coronas otiosus admirator inspiciam, sed eas publicus Theologicæ Ordinis administrator imponam. Ita vivere mihi gratum, imo in hoc emori, si superi darent, esset gloriofum.

Itaque Auctoritate &c.

Serry Tom. VI.

Mirum forte videri queat Meritissimi Candidati quod in hac publica Saturnaliis dierum licentia, qua festo saltatu, Theatris, ludis ac choreis animos laxat studiosa juvenus; vos mente altiores, sacrum istud Sapientia delubrum adieritis, ut festotis jocis ac ludis, secretiorem cum Musis nostris rationem iniretis. Verum est hoc pietatis vestrae, est hoc religionis argumentum. Scilicet alii presentem dierum licentiam causati, misso litteris nuntio, suas personam circumcurfando fabulas ludant. Vos procal a sæculi genio, affici libris ac pluteo serium opus meditamini; nunquam minus personam, quam cum dignam ordine vestro personam agitis: alii geniales istas serias celebraturi, studiorum curas largiori mero sopire satagunt, & contra futuram esuriantium dierum inediam lautioribus epulis caute se se muniunt: Vos Sacrum Minervæ per te se se muniunt: in longam senectam vindemias comparatis, mentis delicias ambitur; Sapientia vinum ac mensam emulamine: vinum inquam, ut loquitur Spiritus S. germinans Virgines, mensamque qua beate mentes in Dei regno laetibus epulantur. Alii rumorum avidi, in trostris ac pharmacopis bonas horas litteris sacras misere contempnunt; vanis altercationibus raucisque sponibus diem absumunt; quodque ridendum magis, jura Principum, imperantium artes, argana dominantium, acies, prelia, urbium obsidiones, non simpliciter modo, sed per seclæ etiam atque factiones moderantur; ignavilicet, bellorum inexpertes, ac sola lingua feroces: sicque irrevocabile tempus absumit negotiosa otiosorum hominum turba, totam diem nihil agendo defatigata. Vos brevi isto quod nobis optimus Princeps facit, otio bene usi, quæ muneris & officii sunt, diligentius amulamini: hæc Sapientia templa subire, Sacra subibilia magnis semper ingenis occupata implete, tot annorum oraculis conclavia personantia frequentate, seriarum oblectaciones exstimatis ac facitis. Sic vos Meritissimi Candidati Sapientia desponsatione dignos exhibebis, sic vos Sacris ejus amplexibus idoneos exhibebis. Nos igitur quod officii nostri est, ejus vobis insignia circumponimus. Ea porro sic gerite, ut iis vos in hacce temporum licentia exornatos omnes intelligant, ut morum innocentia, castimonia, gravitate invidiam insipienti Sæculo faciatis; vestroque exemplo seriatim operum juventutem, ad pietatis virtutisque studium accendatis.

Itaque Auctoritate &c.

## X I V.

Vergente ad exitum fatali hac hyeme, qua nec Sacra ista Musarum delubra subire, nec literarios de more Conventus celebrare concessum est, ut pene Apollinis Laureæ tempore acerbitate exaruisse videretur; nihil post triste institium, horridumque silentium accedere potuit auspiciatus, quam ut redeunte hoc vere primo, quo naturæ reslorescentis primitias aspiciamus, vernantis ac florentis ætatis adolescens serena fronte, resident ore, juvenili denique supercilio, Ver novum ac fortunatum in Academiam nostram induceret. Felix si bene conjicio, fastumque melioris tempe-

Q 9



tis indicium, & excusæ jam tandem a Theologiae Candidatis desidia, atque languoris argumentum. Hanc vobis felicitatem etiam atque etiam gratulor Sapientissimi PP. ut enim hoc veris diluculo, ridere prata, flores erumpere, frondescere arbores, furculos gemmas agere, non sine lætitiæ sensu percipimus, annuque ruris muneribus opimum, beataque fecunditate luxuriantem auguramur; ita renasci veluti litteras, refflorescere disciplinas, vernare musas, lati & alacres contuemur; futuramque deinceps Academiæ nostræ frequentiam ominamur, dum in tanto juvenata flore præcoces ac præmaturos eruditionis ac Sapientiæ fructus inspiciamus.

Neque tamen, Erudite ac Rel. Candidate, nos voce recreat, refectique, quod nobis felicioris tempestatis præfagium canis. Aliquid in te Spe majus agnoscimus, dignisque jam fructibus cumulatum, eximum scilicet litterarum cultum, navatam egregie studiis operam, expressam in vultu, in verbis, in gestu modestiam, & quæ in adolescente Sacris addito suspicientia magis est, morum probitatem & innocentiam. Hæc tibi, hæc solida coronæ loco sit, sine qua coronæ omnis deflorescit, marcescit Laureæ, ipsaque Doctrina quibuslibet titulis nobilitata, vanitas est.



# C A R M I N A

## Q U Æ D A M

A D

### NATALEM ALEXANDRUM O. P.

PURIORIS THEOLOGIE MORALIS SCRIPTOREM,

*Cujus ipse pro sua pietate religiosissimus est observator.*

**M**agnam opus est, morum canones tam scribere sancte;  
Te tamen, ut scribis, vivere, majus opus.

*In Jesuitas repetitis Decretis in causa Sinensi damnatos, errores tamen suos obstinatius ferventes.*

*Ad effigiem ejusdem R. P. Natalis Alexandri.*

Dum Chinæ simplex infusio fumitur haustu  
A nobis febris continuata fugit.

Per quem Religio stetit inconcussa, fidelisque  
Historiæ, & pietas, & constans regula morum;

At dum vos Socii Sinæ Decreta voratis,  
Deterior febris Dæmonis arte redit.

Aspice Alexandrum: sæculo sic noscitur uno  
Mille sepulta libris, Patrum rediviva virtutas.

*Ad imaginem S. Thomæ, positam in superiori parte Bibliothecæ Casanatensis.*

*Ejusdem P. Natalis Epitaphium.*

Mille libros hospes quid quaris cernere? Thomam  
Suspice, major enim Bibliotheca fuit.

Natalis jacet hic, fat dixi, cætera norunt  
Et Tagus, & Ganges, forsitan & Antipodes.

*Ad Patrem Simonetam Ex Jesuitam Censuræ medullitus Pelagianæ fabricatorem.*

*Ludovico XV. Galliarum Regi, Ludovici XIV. pronepote.*

Sceptra tenes proavi, proavus, tritavusque tenebis:  
Nomine magnus erat, re quoque major eris.  
Nempe reges Populos proavi virtute, tuæque.  
Terrore hic tantum, tu quoque amore reges.

Jure, fodalitio ejectum te quisque putabat.  
Injuste id factum, nunc Simonetam probas.  
Nam dum Censuram fabricaris Pelagianam  
Hæc Lojolitam te probat esse bonum.

*In Joannem Checoccium Historiæ Ecclesiasticæ Professorem.*

*Viro clarissimo Joanni Gratiano historiæ Venetæ Scriptori.*

Historiam sacram dicis te velle docere.  
Cum nemo te capit, dic mihi quos doceas?

Historiæ, mihi crede, tuæ si nomina demas  
Romanum quisquis legerit esse putat.  
Sic regit imperio populos Romanus, & Orbi  
Jura dat, haud aliter Livius eloquitur.

*In eundem Scripturæ Sacræ Subrogatum Interpretem.*

*Illustris. D. Marcioni Salvatico jure suo cedenti in causa gravissima pecuniaria.*

Scripturæ Sacræ interpres, Checocci dixeris esse:  
Quis vero interpres dicitur esse tui?  
At dic, interpres quis tuus esse potest?

Adversæ parti causam dum tradis amice:  
Errat qui causa te cecidisse putat.  
Causa non cadit ille; novo sed surgit honore,  
Qui sibi fit judex arbiter ipse sui.

*Ad eundem Historiæ Professorem.*

*Ad Cupetiolem.*

Fallitur, Historiam te quisque docere putaret;  
Cujus dicta capit nemo, quid ille docet?

„ Qui contra me nescio quid scripturire blate-  
rabat.  
Scribere tu dicis contra me, Cupetiole:  
Erras: non scribis, dum tua nemo legit:“